Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

participes. et si fuerimus noui et inmutati in conuersatione. similiter noui et inmutati erimus in gloria. Hoc scientes quia uetus homo noster. Qui ueterem hominem terrenum adam imitando peccabat. simul crucifixus est; per baptismum tecum cum christo crucifixum intellige. qui membrum de corpore eius effectus es. Et ille quidem innoxium corpus appendit. ut tu noxium suspendas a uitiis. In quo mysterio moyses serpentem eneum in deserto suspendit. Ut destruatur corpus peccati. ut ultra non seruiamus peccato. hoc est ut omnia uitia destruantur. quia unum uitium membrum est peccati omnia corpus totum. Christus enim non ex parte sed integer est crucifixus. Siue ut corpus nostrum destruatur a seruitute peccati. et fiat iustitie mancipium quod solebat esse delicti. Omnis enim qui facit peccatum seruus est peccati. Qui enim mortuus est iustificatus est a peccato. hoc est alienatus a peccato est. Mortuus enim omnino non peccat. ita et qui natus est de deo non peccat. Crucifixus enim omnibus membris dolore occupatis. peccare uix poterit. Si autem mortui sumus cum christo credimus quia simul etiam uiuemus cum christo. Si conmortui non sumus nec conuiuemus. quia eius non sumus membra. Scientes quod christus resurgens a mortuis iam non moritur mors illi non ultra dominabitur. Ita et nos si hic uoluntarie mortui fuerimus secundam non timebimus mortem. Siue iam non potestis iterum baptizari. quia christus pro uobis non potest iterum crucifigi. sicut dicit ad hebreos. Inpossibile est eos qui semel illuminati sunt et cetera. Quibus iam poenitentiam non negat. sed iterationem baptismi diffidet. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel. quia ipse peccata nostra portauit et pro nobis doluit ne de cetero peccaremus. Quod autem uiuit. uiuit deo. Viuit in gloria deitatis. Ita et uos existimate uos mortuos quidem esse peccato. uiuentes autem deo in christo ihesu domino nostro. Quasi membra eius semel uos scitote conmortuos. debere iam semper uiuere deo in christo in quo uita nostra abscondita est apud deum. que induti eius sequamini exemplum. Non enim regnet peccatum in uestro mor